Atinet in gentes parturit ira minas.
Quo feret ira sequar facti fortasse pigebit.
Et piget infido consuluisse uiro.
Viderit ista deus qui nunc mea pectora uessat.
Nescio quid certe mens mea maius agit.

Mittit et optat amans quo mittitur ire salutem
Hemonis Hemonio Laudomia uiro.
Aulide te fama est unde retinente morari.
Me mea cum fugeres hic ubi uentus erat.
Tunc freta debuerant uestris obsistere remis.
Illud erat seuis utile tempus aquis.
Oscula plura uiro mandata que plura dedissem.
Et sunt que uolui dicere plura tibi.
Raptus es hinc preceps et qui tua uella uocaret
Quem cuperent naute non ego uentus erat.
Ventus erat nautis aptus non aptus amanti.
Soluor ab amplexu protexillae tuo.
Lingua que mandantis uerba imperfecta reliquit.
Vix illud potui dicere triste ualle.
Incubuit boreas abrepta que uella tetendit.
Iam que meus longe protexillaus erat
Dum potui spectare uirum spectare iuuabat.
Sum que tuos oculos usque secuta meis.
Ut que non poteram tamen tua uella uidebam
Vella diu uultus detinuere meos.
At postquam nec te nec uella fugacia uidi
Et quod spectarem nil nisi pontus erat.
Lux quoque tecum abiit tenebris exanguis abortis
Succiduo dicor procubuisse genu.
Vix socer Ysiphillus uix me grandeuus achastus
Vix mater gellida mesta refecit aqua

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1665/0064

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG